DISSERTATIO JVRIDICA INAVGVRALIS
DE

EMPTIONE SPEI,

Vom Kauf einer blossen Hoffnung,

ad L. Nec emptio VIII. ff. de contrahenda Empt. &c.

QVAM

PRAESIDE

IO. SAMVELE STRYKIO,

JC. SERENISS. VIDVÆ SAXO-ISEN. CONSIL.
AVL. PROF. JVR. PVBL. ORD. H. T. DECANO
IN ALMA FRIDERICIANA

PRO LICENTIA

IN AVDITORIO MAJORI HORIS ANTE-ET POMERIDIANIS
DIE MAII A. R. S. MDCCXIV.

GEORGIVS Fürbringer,
OSCHWITZ-BARVTHENS.

VITEMBERGAE,
IN OFFICINA HAKIANA.
MDCCXLII.

(4)





PROOEMIVM.




Pem pretio non *emit*, quicunque præsentia vanis, incertis certa præfert, *futurorum contingentium* acris & cum *fastidio Contemptor*. Etenim si *Spes* est *somnium vigilantis* juxta PLATONEM; *Illusarum mentium Lethargus* BOETIO; *fallacissimum Bonum* ex SENECAE (ep. X.) effato; utique *Venditorem Spei nugivendum*, *Emptorem* umbræ Sectatorem, verissime dixeris. Unde & Glossa in *L. 8. pr. ff. de Transact. ad præsens ova cras pullis esse meliora* statuit; quod vernacula non inconcinne redditur, es sey besser ein Sperling in der Hand, als ein Storch auf dem Dache. ICti quoque appellatione rei *spem* comprehendi vix concedunt, Tiraquell. *de LL. Connub. Gl. 2. n. 35.* Nec pati damnum dicitur, qui *spem lucri futuri* perdidit *L. 26. ff. de dann. infect.* Quodsi de *pretio Spei* quæras, placet Responsum Non-Neminis, qui orta lite inter *Cupedinarium* & *Bajulum*, quod hic panem ad prunas istius torruisset, atque ob id factum alter denarium exegisset, pronunciavit: Eum, qui non nisi *fumo* pastus esset, *tinnitu*

nummi recte liberari, v. Dinner. de *just. rer. pret. Quæst.* *4. n. 19.* Verum utut de *spe improbabili* hæc lorgiamur, videas e contra *spei probabilis* rationem in jure insignem haberi. Sic *nostrum* dicitur, cujus consequendi *spes* saltem adest *L. 38. §. ult. ff. ad L. Falc.* Propter *nudam spem* mitti quis potest in possessionem *L. 11. ff. quib. ex caus. in possess.* Datur *pro Spe* Restitutio in integrum *L. 3. §. si quid Minori. ff. de Minor.* Venit *damnum Spei* in Actionem *L. Aquil. L. 23. ff. ad L. Aquil.* Cavetur propter solam *Spem*, uti propter Rem. *L. 9. pr. ff. Usufruct. quemadm. cav.* Admittitur *Spei* Oppignoratio *L. 15. L. 16. §. 7. ff. de Pignor.* Quin sicut in genere *Spes* pro Veritate habetur *L. 71. ff. de Evict.* Bartol. *ad L. 29. §. 14. ff. de Lib. & Posth. n. 2. L. 1. pr. ff. de Stat. Lib.* ita imprimis observandum, quod & donari *L. 3. C. de donat.* & VENDI queat. Quousque vero & quatenus *Emptio Spei* procedat, operæ pretium duximus, si plenius excuteretur. *Jacta* est *alea* in sequentibus, *Spemque* inter & *metum* hæremus dubii, num Lectori Benevolo ubique satisfactum sit? Veniam tamen vel ex eo facilius merebimur, quod jam olim & *Ripa* & *Bartolus id argumentum* scrupulosum difficillimumque judicarunt.

Vale & fave.

DISSER-



DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS
DE
EMPTIONE SPEI.



REcepta huc usque Dd. Methodo, tum Philosophis, Ciceroni *Lib. 1. Offic.*, Gellio N. A. *Lib. 1. c. 18. Lib. 10. c. 4.* & *c. 9. Lib. 13. c. 15.* Senecæ *Lib. 7. de benef. c. 4. fin.* aliisque; tum ICtis, de quorum millibus solum Ulpianum allegasse sufficiet in *L. 1. ff. de J. & J. L. 1. ff. de Pactis L. 1. §. 1. ff. de R. C.* dudum solenni, *Onamatologiam* videlicet certi *Thematis* præmittendi ejusdem *Pragmatologiæ*, neque nobis vitio versum iri confidimus, si nonnulla de verbo *Emptionis* & *Spei* præfabimur ante, quam ad ipsam nuclei evolutionem altius provehamur.

§. II.

Emptionem igitur a Primitivo *emere*, ejusque Supino *emptum* dirivari, tralatitium est. Sicuti vero quando *emisse* dicor, aliquid necessario ἐμὸν i. e. *meum* feci; unde fortassis origo verbi *emere* juxta Connan. *Lib. 7. c. 5. n. 1.* ita vocabulum *Emptio* STRICTE denotat contractum consensualem de re pro certo pretio tradenda *L. 1. §. fin. L. 2. §. 1. ff. h. t. L. 1. §. 2. ff. de Permut.* Nam LATE sumitur quo-

que (1) pro quacunque *alienatione* & correlativa *acquisitione* quippe Lex ipſa *XII. Tabul.* verbo iſto omnem alienationem (& reſpective acquiſitionem) complexa dicitur *L. 29. ff. de Stat. Lib.* Gothofred. *in not.* Fab. de Mont. *Præf. Q. 2. n. 2.* Ubi inſuper obſervandum, quod veteres in Emptione Venditione Appellationibus promiſcue uſi fuerint *L. 19. ff. de A. E.* ita ut alterutrum vocabulum pro integro contractu poneretur *L. 2. ff. de Contr. Empt. L. 23. §. 5. de A. E.* Strauch. *Diſſ. Juſtin. 15. aph. 2.* (2) Pro Contractu *Locationis Conductionis L. 30. §. 3. ff. Loc.* Unde Veterum ICtorum dubitatio in quibusdam ſpeciebus orta, an Emptio-Venditio, an vero Locatio-Conductio eſſent? conf. Mudæus *de E. V.* ubi regulas aliquot pro iſtis dubiis reſolvendis, *pr. Tr. n. 13. 14.* propoſuit. (3) Pro *Permutatione*, quia quælibet permutatio ſapit vim & naturam Venditionis *L. 2. C. de Rerum Permut.* eſtque *Emptioni Vend.* maxime vicina *L. 2. ff. eod.* Imo dicitur Species Venditionis *L. 19. §. ult. ff. de Rerum Permut.* utpote quæ a permutatione originem traxerit, afferente Paulo *L. 1. ff. de Contr. Empt.* Sed in præſenti quidem negotio, præcipue *ſtrictior* vocabuli Emptionis *ſignificatio* regnabit.

§ III.

Occurrit jam altera *Rubricæ* vox *SPEI* explicanda, cujus *Etymologiæ* non eſt, quod diutius immoremur, ſive *a ſperare* ſit oriunda, ſive potius *ſperare a ſpe*: quod nonnemo exinde probare nititur, quia Veteres *Sperem* pro *Spem* dixerint. Germanice effertur Hoffnung: Diminutivum *Specula*, eine ſchlechte Hoffnung videre eſt apud Cic. *ad Cæſ. 11. Fam.* in communibus miſeriis hac oblectabar *ſpecula*, quo loco nec *Paronymum* Spei ſicco prætereundum pede, nimirum, *Speratus* & *Sperata*, Veteres enim

enim ita Sponsum Sponsamve appellitarunt. Varro *Lib. 5. de Leg.* add. Barnab. Brisson. *Lex. voc. Sperare* junct. *Perizonio* ad *Francisc. Sanctii* Minervam, seu de *Causis latinæ linguæ Lib. 4. p. 574.*

§. IV.

Ast plus negotii nobis caussabitur Spei *Homonymia.* Significat enim *Spes* (1) *generalissime exspectationem quamcunque eventus futuri, sive Boni, sive Mali.* Est enim spes *Opinio futurorum,* referturque *tam ad Bona, quam ad Mala.* Bart. *in L. 29. §. 14. ff. de Lib. & Posth.* Unde Cicero *spem malorum* Haud dicere dubitavit *Lib. 1. ad Attic.* & *Poetarum Princeps* canit: At *sperate* Deos, memores fandi atque nefandi *Lib. 1. Æneid.* add. Perizonius c. l. Quo pacto & JCtus *sperare* pro *timere* usus est *L. 3. §. 6. ff. si cui plus, quam per L. Falc.* add. *L. 15. §. pen. ff. de damn. infect.* (2) *generaliter,* & *magis proprie Exspectationem futuri Boni,* definiente Cicerone 4. *Tusc.* a quo haud procul abludit Cartesius de *Passionib. animæ Art. 165. Spes,* inquiens, *est dispositio animæ ad sibi persuadendum id eventurum, quod cupit; quæ producitur motu speciali Spirituum, conflato ex motu lætitiæ & desiderii inter se permixtis.* Atque in eo sensu *spes* sumitur (3) *specialiter* (a) pro *Exspectatione Boni valde certa,* quatenus respicit aliquid haud dubie exstiturum; vocatur alias DDb. *probabilis, ordinata, radicata:* qualem v. g. de Libertate habet statu liber, postquam Hereditas est adita *L. 11. ff. de Stat. Lib.* Quo pertinet *L. 22. §. 1. C. de Jur. delib.* ibi: *spe certissima. L. f. §. 2. Cod. Comm. de Leg.* Sichard. *ad L. 3. fin. C. de Donat.* Tiraquell. *de LL. Connub. Gl. 2. n. 36.* Sic *Spei ordinatæ* exemplum est foetus in utero existens, qui *spes animantis dicitur l. 2. ff. de mort. infer.* (b) *pro Exspectatione Boni valde incerta;* vocatur alias DDb. *Impro-*

probabilis, non radicata: qualis est v. g. in Emptione Jactus, *L. 8. §. 1 ff. de C. Empt.* Talis poneretur in morte octo Fratrum, Juvenum & bona valetudine utentium, siquidem sine liberis decesserint, vid, *Prukm. P. 1. Consf. 48. n. 60.*

§. V.

Enimvero dum a *verbis* ad *rem ipsam* transitum paramus, scrupulum non levem injiciunt *tria* illa *Substantialia E. V. Requisita, Consensus pr. I. b. t. L. 1. §. 2. ff. de Rer. Permut. Merx* sive *Res l. 1. pr. eod.* & *Pretium l. 8. pr. ff. de E. V.* Cum enim *nec Emptio nec Venditio sine Re, quæ veneat, possit intelligi l. 8. § 1. ff. de C. E.* Juvabit hic loci præliminariter disquirere: *Num Spei Emptio detur?* quod quidem prima fronte *videtur negandum*, quia *spes* est quasi *non ens*, & omnium rerum fallacissima, ut in *procemio* luculenter docuimus. Atqui non-entis nullæ sunt qualitates, nulla Accidentia *arg. L. 41. §. quodsi & quoniam. ff. si cert. pet. L. 30. ff. de Test. Tut.* Nec æstimari potest, quod in rerum natura non est *L. 7. L. 10. ff. de Hered. l. Act. Vend.* Unde nec ex JCtorum Legibus pati damnum dicitur, qui perdit *spem futuri* lucri *L. 26. ff. de damn. infect.* Tiraquell. *de LL. Connub. Gl. 2. n. 35.* Ita *siquis uno pretio duos servos emerit, quorum alter ante venditionem moriatur, neque in vivo constare Emptionem*, respondet Marcianus *L. 44. ff. de C. E.* Cui adstipulatur Paulus *L. 15. eod. Etsi consensum fuerit in Corpus, id tamen in rerum natura ante venditionem esse desierit, nulla Emtio est.* Quod ampliatur, ut nec æstimatio, nec pœna ejusmodi *rei non existentis* debeatur *L. 69. ff. de V. O.* Frantz *de C. E. n. 104.* Sic in *domus exustæ venditione*, quam exustam & Venditor & Emptor ignorarunt, *Nerva, Sabinus, Cassius, nihil venisse ajunt, quamvis area maneat, pecuniamque solu-*

solutam condici posse, l. 57. ff. de C. Empt. Quod & obtinet, *si pars amplior saltem exusta* sit, *ut non compellatur Emptor perficere Emtionem, imo quod forte solutum ab eo est possit repetere c. l.* Ratio decisionis non aliunde petenda, quam ex *l. 8. ff. de C. E. quia scilicet res deficit,* quod & expressis verbis innuit Mudæus ad *l. 57. ff. de C. E. n. 1. 2.* inquiens: *cum uterque ignoravit, videri dosse obligationem nasci & consensu nulla fraude infecto; at qui potest, deficiente re, quæ veneat?* Objicis pro *saluanda Spei Emtione, vocabulo Rei Spem quoque comprehendi. Nam res in abstracto idem fere est, quod non ens.* Mozz. *cap. quæ veniant appellat rei* & patet latissime *l. 5. ff. de V. S. L. 1. ff. de R. C.* vid. Franciscus de las Caldas in repetione legis: *Si Minorem ub. Res C. de in integr. Rest. minor.* & alibi dicit Bartolus *in l. Gallus ff. de lib. & posthum.* quod spes pro veritate habeatur. Sed Resp. poterat ita vis inferri vocabulo rei, quod plane improprie refertur ad *non ens:* Unde Tiraquellus negat *spem* comprehendi appellatione *rei, de LL. Connub. Gl. 11. n. 37.*

§. VI.

Ast tamen his non obstantibus, & EXISTENTIAM & JUSTITIAM *Emptionis Spei* per *Tex. & asserta DD.* confestim probatam dabimus. Palmarium fundamentum exhibet ICtus Pomponius *L. 8. ff. de C. E.* Nec Emptio nec Venditio sine re, quæ veneat, potest intelligi: & tamen *fructus & partus futuri* recte emuntur &c. cui respondet Paulus *l. 34. ff. eod.* ibi: *res futuras emi posse.* Exempli loco adducuntur a Labeone *frumenta in herbis l. 78. §. 3. de C. E.* ab Ulpiano *futurum, quod retibus extrahetur l. 12. ff. de A. E. l. 11. §. 18. ff. eod.* a Juliano *pendens vindemia & fructus Olivæ l. 25. ff. eod. l. 39. §. 1. ff. eod.* Ut temporis spatiique lucrandi gratia taceamus *l. 3. C. de Donat. L. & quæ*

non-

nondum sunt 15. *ff. de pign.* & *Hyp. l. fin. C. quæ res pign. L.* 46. *ff. de pact.* ibi: *Spem futuræ perceptionis. l.* 73. *ff. de V. O. l.* 23. *ff. Famil. ercisc.* Quibus inducti LL. Antistites uno ore Regulam confirmant, *Spei Emptionem dari.* Uberius ei lumen accedunt Molin. *de J. & J. Tr.* 2. *D.* 340. *num.* 14. Mozz. *de E. V. n.* 16. 17. Fabian. de Monte *Tr. Empt. Q.* 4. *n.* 46. Gvilielmus Maranus *Parat. ff. de H. v. A. V.* ibi: Valet nihilominus Emptio &c. Tulden *in Cod. de Cont. E. n.* 4. Faber. *in C. de Locat. Tit.* 26. Sichard. ad *l.* 3. *C. de donat.* Prukman. *Vol.* 1. *Cons.* 46. Brunnem. *ad l.* 3. *C. eod.* Mudæus *de Cont. E. ad l.* 8. *n.* 1. *sqq.* & *Cap. ult. de Act. Empt. n.* 17. Lugo *de J. J. D.* 26. *Sect.* 2. *n.* 15. Steph. Fagundez *de J. J. lib.* 5. *Cap.* 24. *n.* 7. Mantica *de Tac.* & *amb. Convent. lib.* 4. *Tit.* 18. *n.* 26. Christinæus *Decis. Belgic. Volum.* 3. *Decis.* 53. *usque* 61. Connanus *l.* 7. *c.* 6. *n.* 7. Sande *l.* 3. *Dec.* 3. *t.* 4. *Def.* 7.

§. VII.

Itaque & LL. supra cit. & DD. autoritate confisi Emptionem *definimus* sive *describimus* Emptionem Spei, quod sit contractus consensualis, a contrahentibus vel pure vel conditionaliter initus super Exspectatione rei, eventu vel probabili, vel improbabili futuræ, pro certo quidem pretio, ita tamen ut regulariter periculum priori casu ad emtorem, posteriori ad Venditorem spectet.

§. VIII.

CAUSA EFFICIENS *Remota* est Dispositio Legis, tum *Civilis* tum *Naturalis.* Illa patet ex LL. antea allegatis, hæc adstruitur ab illustri Pufendorfio *l.* 5. *c.* 5. §. 6. *de J. N.* & *G.* his verbis: *Est & peculiare Genus Emptionis, qua non certa res, sed probabilis tantum spes emitur, cui*

ex

ex conventione Contrahentium pretium constituitur. Neque vitiatur talis Emptio, ubi postea ipsa res pretium *superaverit*, aut multum *infra* fuerit. Sicut & idem in Emptionibus per *Aversionem* & in *Actionibus* obtinet, quod ejusmodi Emptionibus *aliquid aleæ* sit admistum. Conf. Grotius *lib. 2. c. 12. n. 4. & 26.*

§. IX.

CAUSA EFFICIENS *PROXIMA Emptionis Spei* sunt *Personæ* eam celebrantes, & quidem *regulariter omnes*, qui contrahendo se mutuo obligare valent. At cum E. V. Libertas lege civili coerceri possit *l. 14. C. de C. E.* notandum, & nostram Spei Emptionem *illicitam fieri ac probiberi* 1) *Generaliter* (a) Prodigis, Furiosis, Minoribus *l. 6. ff. de V. O.* (b) Patri & Filio in sacris Paternis constituto *l. 2. pr. 2. ff. de C. E.* quod limitatur ratione bonorum Castrensium & Qvasi Castrensium *l. 2. ff. ad Sct. Maced.* (c) Præsidibus, qui Officii Causa in Provincia agunt *l. 62. ff. de C. E.* 2) *Specialiter* (*a*) Liberis *spem* de bonis Paternis *vendere* cupientibus. Ratio, quia in rerum natura non est, quod venierit *l. 1. ff. de H. vel A. V.* Quamvis enim Liberis integrum sit, sperare Parentum bona, licet superstitum *l. 17. §. 3. ff. de Adopt.* quia Liberi vivo adhuc Parente *Domini* paternorum bonorum quodammodo habentur *l. 11. ff. de Lib. & Posth.* & ipso Jure in Liberos Paterna Hereditas continuare dicitur *§. 2. J. de Hered. Qvalit.* Tamen procedit hoc tantum per *fictionem Juris* quoad spem Successionis Carpz. *P. 2. C. 12. Def. 36. n. 5.* Non utilis inde competat facultas bona Paterna, *tanquam sua* vendendi, cum ne quidem ea habere dicantur *l. 28. fin. ff. de Vul. & pup. Substit.* Facit, quod *Venditor* vel *Emptor talis Spei* lædat jus Gentium, & bonos

mores *arg. l. 29. §. 2. ff. de donat.* Mæſtert. *de Juſt. Rom. LL. l. 6. 1. Dub. 42 pr.* Hartm. *Piſt. V. 5. Qu. 1. n. 10. ſqq.* Quod ampliatur, ut nec Liberi *ſpem Legitimæ* vendere queant *l. 1. §. 6. ff. de Succeſſ.* Carpzov. *C. Def. n. 2.* Tiraquell. *de Jure Primogen. Q. 40. n. 219. ſeq.* (β) Spes præmiorum *futurorum Athletis* propoſita, *emi & vendi* nequid arg. *L. Spem. C. quæ res pign. Oblig.* Ratio eſt, quia propoſita, Athletis præmia velut calcar addunt Virtuti: quodſi *ſpem* conſequendorum Tertius *emiſſet*, juſte timeri poterat, ne iſti torpeſcerent, quippe poſt victoriam ſolatio cárituri Perez. *ad h. l. n. 6.* Non obſtat *l. 40. ff. de re jud.* Nam Reſp. vel loqui textum de præmiis *jam partis, non futuris* Dn. Brunn. *c. l.* Mozz. *de Contr. de reb. quæ pign. dari poſſ. n. 29.* Vel *privata pactione* præmia *futura* non poſſe alienari, ſecus *autoritate publica*, de qua *l. 40.* Perez. *in Cod. n. 6.* Mozz. *c. l.* Ceterum de Athletis quæ dicta ſunt, num ad ſalaria futura DD. vel miniſtrorum Eccleſiæ extendenda ſunt? vid. ibid. (γ) *Heredes* prohibentur *vendere*, quod ex teſtamento ad ipſos *perventurum* eſt, tenore ejus adhuc incognito *l. 12. ff. de Tranſ. arg. l. 6. ff. eod.* Fundamentum hujus ſpecialitatis eſt favor ultimarum Voluntatum, quas exitum ſortiri publice & privatim inter eſt *l. 1. C. de SS. Eccl.* Carpz. *Deciſ. 157. p. 2. n. 6.* Sichard. *ad l. 3. C. de donat.* In ſpecie id obtinet in *alimentis futuris*, teſtamento relictis arg. *l. 8. ff. de Tranſ.* Ratio, ne Alimentarii contenti modico præſenti, potiora amittant. Limitatio eſt, ut rata ſit talis Emptio Venditio *futurorum*, ſi Autore Prætore fiat *l. 8. C. de Tranſ.* ſi uſui cedat Alimentario *c. l. §. 6.* Carpz. *c. l. n. 17. ſqq.* (δ) Inter *Clientes & Advocatos futurus eventus litis emi, vendi, nequit l. 6. §. 2. C. de poſtul. l. 15. C. de Procurat.*

rat. Nam sic præbetur occasio calumniose litigandi, & veritatem propter *spem lucri* oppugnandi Perez *ad Tit. de Postul. n. 6.* Ampliatur, ut non solum *spes certæ summæ*, quæ in judicio ventilatur, *vendi non debeat*, sed neque ipse litis eventus *l. 7. ff. mand. add.* Dn. Brunnem. *l. 5. C. de Postul. n. 3.* quia perinde lis redimitur.

§. X.

Progredimur ad FORMAM *Emptionis Spei*, *quæ consistit in* consensu super Exspectatione rei *vel probabiliter vel improbabiliter* futuræ, & pretio, pure vel conditionaliter *declarato.* Diximus, *formam* consistere in *consensu* quia est Substantiale Requisitum *Emtionis l. 9. ff. de C. E.* Etsi enim *res* intervenire debet, non tamen actus requiritur ad causandam obligationem, cum *statim atque convenimus*, sit *perfecta* Venditio *respectu contractus*, & competat Actio ex Empto *l. 1. pr. ff. de A. E.* Mozz. *de contr. quæ veniant appell. rei n. 10.*

§. XI.

Porro diximus consensum *in E. Spei* declarari vel *pure* vel *sub conditione* arg. *l. 10. ff. de V. S.* §. *4. Inst. de E. V. Pure* tunc dicitur contrahi, cum neque dies neque conditio adjicitur, sed res simpliciter venditur. Manz. *ad c.* §. *4. n. 2. 3.* add. Rebuff. *ad l. 10. ff. d. V. S.* Sic *pure* Emtio Spei *celebratur*, quando *quasi alea* emitur, quod fieri solet, cum *captus* piscium, vel avium, vel missilium *emitur:* Emptio enim est, etiamsi *nihil* inciderit; quia *id actum* intelligitur *l. 8.* §. *1. ff. de C. E. l. 19. ff. de A. E. V.* Aliud exemplum occurrit *l. 10. l. 13. ff. de H. v. A. V.* Ast *sub conditione* celebratur *Emptio*, cum in aliquem casum *futurum incertum* differtur *l. 2. ff. de Addict. in diem. l. 7. ff. de Resc. V.* Est enim

Conditio adjectio aliqua ad actus, jus vel obligationem parituros, qua corundem vis & efficacia confertur in aliquem eventem a casu, aut arbitrio humano pendentem. Dn. a Pufend. *cap. 8. §. 2. d. I. N. & G.* Vel brevius: *est qualitas actui adjecta, quæ vim ejus confert in casum futurum incertum §. 4. I. de V. O. l. 34. §. 1. ff. de Cond. & Demonst.*

§. XII.

Quemadmodum vero actus pauci sunt, qui conditionem non recipiant *l. 77. ff. de R. J.* ita manifestum est, *Emptionem Spei* modo sub *expressa*, modo *sub tacita conditione* fieri. arg. *l. 19. ff. de H. v. A. V. l. 73. ff. de V. O. Expressæ Conditionis* in E. Sp. exemplum potest esse *Vendita Hereditas Titii*, si Titius consentiat, & in ea voluntate perseveret Molin. *de J. & J. Tr. 2. Disp. 340. num. 3.* Carpzov. *P. 2. C. 35. D. 19. num. 2.* Similiter quando fructus vendimus, *si qui nascentur*, vel, *si quos percipi contigerit.* Quamvis enim Bartolus ad *l. 8. ff. de C. E.* hisce verbis ipsum *incertum*, scilicet *aleam* sive *spem* venditam autumet; quia tamen dictionis *si* ea est natura, ut tempus *futurum* respiciat, habens se æque ad non esse ac esse *l. 1. ff. de Cond. & Demonstr.* ideo certum, quod conditione non existente actus etiam ipse pereat. *L. 8. §. quod si. ff. de peric. & commod. rei vend.* Mantica *de Tac. & Amb. Conv. Lib. 4. Tit. 10.* Pantschman. *Quæst. 17. num. 82. 83.* Neque minus *Emptionem Spei* sub *expressa conditione* fieri putamus, si v. g. vendam reditum annuum *futurum, nisi melior conditio offeratur l. 2.* ibi: *erit emptio conditionalis ff. de Addict. in diem. l. 7. pr. ff. de C. E.* Si enim non offeratur, creditur *emptio* retro pure celebrata *l. 11. §. 1. ff. qui pot. in pign.* Sin deficiat conditio, & offeratur meli-

melior, prior Emptio deficit *l. 8. ff. de peric. & commod. R. V.*

§. XIII.

Altiorem indaginem meretur *consensus in E. S.* sub *conditione tacita* interpositus, utpote quæ pro expressa habetur *l. 3. ff. si certum pet. l. 94. ff. de V. O.* Tacitum enim hic est, quod venit ex natura actus *l. 1. §. 3. ff. de Cond. & Demonstr.* Sic communis Dd. opinio est in *emptione fructuum nasciturorum* subesse *tacitam conditionem*, si nascantur *l. 73. ff. de V. O.* Sichard. *ad l. 3. C. de donat.* Mozz. *de reb. quæ emi & vendi poss. num. 16.* Mudæus late *ad l. 8. n. 4. ff. de C. E.* Carpz. *P. 2. C. 37. Def. 25. num. 1.* Tunc enim incipit actio, cum per rerum naturam *fructus* præstari possunt, Mantic. *de T. & A. Conv. lib. 14. Tit. 41. num. 13.* Neque præsumendum est, aliquem suum velle jactare ac pretium rei *non existentis* constituere *l. 25. ff. de prob.* Quod ampliatur, sive venditor dixerit: Vendo tibi fructus *futuros*, sive *perceptionem fructuum*, ut utroque casu *tacita* subintelligi debeat conditio, si nascantur; perceptio enim *cum effectu* sumenda est, & in significatu potentiori *l. 3. §. 6. ff. de Neg. Gest.* Præterea id, quod hic exprimitur, alius *tacite* inerat, atque ex pretio constituto *perceptio realis* eo magis colligenda venit. Pantschman. *Quæst. 17. n. 47. sqq.* qui ibidem dissentienti Bartolo abunde satisfecit *n. 54. seqq.*

§. XIV.

Quod dictum *de fructibus*, ob identitatem rationis extenditur ad *venditionem partus ancillæ vel foetus pecorum*, ut nunquam non conditio supponatur, *si nascantur.* Nam antea solum homo fieri *sperabatur l. 14. C. de Fideic. libert.* diciturque fœtus in utero *spes animantis l. 2. ff. de Mort. infer.*

Igitur

Igitur hæc *venditio* ex re ipſa dilationem capit, donec id, quod in utero eſt, excludatur arg. *l. 73. ff. de V. O.* Rebuff. *ad. l. 10. ff. eod.* Mantic. *lib. 14. Tit. 41. n. 13.* Nam ſi editum nil ſit, venditio erit nulla *l. 8. ff. de C. E.* Gomez. *Reſol. c. 2. n. 7.* Pantſchman. *c. Q. n. 83.*

§. XV.

Alia ratio eſt in *empto retis jactu* vel Avium *captura* ſeu *venationis*, ubi *Emtio conditionalis* non eſt, ſed *pura:* quia enim tam *naturalis* & *veriſimilis certitudo* non reperitur hic, ut iſthinc; *ſpes nuda* vendita intelligitur *l. 12. ff. de A. E.*

§. XVI.

Aperit ſe jam nobis ſpatioſiſſimus decendi campus, dum *emptionis ſpei* OBIECTVM aggredimur explicandum, quod includit *res quaſcunque ſive probabiliter, ſive improbabiliter futuras*, modo in ſpecie earundem Empt. Vendit. prohibita non ſit. Ab *illicitis* ergo ut ordiamur, ad eam certo modo referendam exiſtimamus *emptionem futurorum fructuum*, ſcilicet ubi adhuc *Meſſis* in *herba*, aut Vindemia *pendens eſt.* Licet enim de *J. Civili* expeditum ſit, fructus tales *licite* emi vendi per *l. 8. ff. de C. E. l. 25. ff. de A. E. V. aliasque ante allegatas;* hodie tamen plerisque in Regionibus contrarium receptum eſt, veluti de Hiſpanis teſtatur Roderigo *Tr. de annuis Redit. lib. 1. Q. 12. n. 38.* de Gallis Mornatius *in Tit. de Empt. Vend.* Molin. *Tr. de Commerc. & Uſur. n. 470.* de Sabaudis Faber. *lib. 4. Tit. 17. Def. 8. n. 3.* De Friſiis, Wiſſenbach. *de Contr. Empt.* §. *9.* Sande Deciſ. Friſ. *lib. 3. Tit. 4. Def. 7.* Quia enim quilibet mavult hodie accipere modicum quidpiam & renunciare magno commodo *futuro* incerto, Bartol. *in l. 56. ff. de fidej.* facile allicerentur homines, tanto vilio-

re

re pretio fructus vendendi, quanto messis incertior & casibus obnoxia: quo ipso autem incauto miseroque Agricolæ vili pecunia omnis annona posset aufferri. Unde & in nostro Imperio Romano-Germanico, *Venditio ista fructuum* notabiliter *restricta est*, ut non aliter licita sit, nisi (1) constituto justo pretio, tempore Contractus vel 14. diebus post tempus messis, aut Vindemiæ, communi (2) ut cuncta fiant absque dolo. Ita enim habet *Ref. Pol. Tit.* Von Verkauffung der Früchte auf dem Felde. Tam de *Anno 1548. quam de Anno 1577. Tit. 19. ub.* daß solch Leihen auf die künfftigen Früchte (welches in effectu anders nicht ist, als an sich zukauffen,) zwar erlaubet seyn soll, jedoch daß dasselbe anders nicht geschehe, als auf den Schlag und gemeinen Kauff, was nemlich der Wein oder Geträyde zur Zeit des Contracts oder aber 14. Tage, die nächsten nach dem Herbst oder Erndte gelten wird rc. Pœna statuta in contravenientes, ut nonsolum amittant pretium datum, sed & extraordinaria pœna Judicis afficiantur, ub. So hierinnen einiger Vortheil, Gefahr, Argelist oder Betrug gebrauchet würde, so wollen wir hiemit ernstlich, daß solche Abkauffer oder Ausleiher, die Haupt-Summa verlieren, und dazu von der Obrigkeit, ob auch gleich der arme Mann nicht klagt, ex officio nach Gestalt und Gelegenheit der Sache, an Ehren und Gut gestraffet werden soll. add. *Stat. Norib. l. 4. Tit. 11.* §. das Geträyde. Illustr. Dn. Stryk. *Disp. de Dardan. cap. 2.* Christin. *Vol. 3. Dec. 53.*

§. XVII.

Sed num *licet emere* reditum annuum consistentem in *fructibus futuris*, certo pretio? Esto casus. Titius

 solvit

solvit Cajo centum Imperiales, ut hic Creditori singulis annis, modios decem frumenti (nam tunc unus modius 12. grossis emebatur,) præstet. Quæritur: An is contractus de jure subsistat? Videtur, quod sic, quia tempore contractus initi nulla demonstrari potest læsio, cum æque commodum vel incommodum nunc venditorem, nunc emptorem se qui possit, ex regula generali *l. 1. pr. ff. ad Sct. Trebell. l. 8. C. de R. V.* Verum cum ita facillima ad usurariam pravitatem via detur *l. 16. 17. C. de Usur.* Christoph von Hagen *Tr. de Usur. C. 4. n. 122.* Rectius statuitur, ejusmodi *Emptionem* non valere, nisi sub reductione ad valorem frumenti, quanti id vicennio præterito sæpius valuerit, utque electioni *Venditioris* relinquatur, an tantum pecuniæ vel frumenti præstare velit. Molinæus *Tr. de Usur. p. 249.* Gail. *lib. 2. Obs. 9.* Vel, debere Creditorem pro singulis centenis octo, vel in pecunia vel in frumento solvere, Carpzov. *Dec. 294. n. 16. sq.* Add. *Const. Publ. Reform. Pol. 1577. Tit. 17.* Und nachdem ꝛc. & *Tit. 19. §. ult.* Aber da Korn oder Wein-Gülden gekaufft ꝛc. dazu auch dem Verkäuffer und Schuldener die Ablösung jedes Jahres, mit Erstattung des empfangenen Haupt-Geldes zu thun frey gelassen werden ꝛc.

§. XVIII.

Porro nec licitum est *Hereditatem futurum* certi *viventis* emere *l. 2. §. 2. ff. de Vulg. & pup. Subst.* Alitur enim sic *præmatura spes l. 1. §. 21. ff. de Collat. Bonor.* atque inducitur votum captandæ mortis *l. fin. C. de pact.* Mæstert. *de Just. Rom. LL. lib. 1. Dub. 40. p. 157.* Carpz. *P. 2. C. 35. Def. 17.* Nisi (1) is *vivens consentiat*, ut supra ostendimus. Etenim qui tali actui consentit, certus omnino est, contrahentes nullum captandæ ejus mortis votum fove-

fovere, alioquin consensum suum vel denegaret vel subtraheret, Fab. *in Cod. lib. 2. Tit. 3. Def. 10.* (2) Nisi celebretur ejusmodi actus inter *Milites* ad discrimen in aciem prodeuntes *l. 19. C. de pact.* Sed tunc quidem valet magis in vim ultimæ voluntatis, quam conventionis Richt. *Dec. 26. n. 18.* Mæstert. *p. 161.*

§. XIX.

Contra si agatur de Hereditate *futura* Tertii *incerti* vendenda, nemo inficias ibit, id quidem omni jure licitum esse *l. 8. ff. de C. E.* quia *spes ac alea* videtur *empta l. 7. & 11. ff. de H. v. A. V.* & propter incertitudinem spes præmatura capi nequit, *arg. l. 3. §. 2. ff. pro soc.* Dauth. *l. ult. C. de pact. n. 116.* Carpzov. *Part. 2. C. 35. Def. 17. n. 12.*

§. XX.

Sed quid *de spe fideicommissi?* Num & illam *fideicommissarius* potest vendere? Resp. quod sic *l. 65. §. 4. ff. ad SCt. Trebell.* arg. *l. fin. C. de H. v. A. V. l. 37. pr. ff. ad SCt. Treb.* Agitur enim hic de mortui (Testatoris restituenda) Hereditate, non viventis Fiduciarii sive gravati, Peregrin. *de fideicommiss. Art. 31. n. 3.* estque talis *spes* admodum *probabilis* etiamsi ex *futuro* eventu *pendeat l. 9. fin. C. Commun. de legat.* Tusch. *lit. I. Concl. 629. n. 5. & 9.* Num & cogere potest Fideicommissarius heredem institutum ut hic caveat in eventum Conditionis *L. 4. C. ut in possess. Legat.* Quapropter istiusmodi spes rei appellatione venit *l. 4. ff. de H. vel. A. V.* Kellenbenz. *de Renunciat. Q. 6. n. 4.* & est transmissibilis ad heredes, Cavalc. *Dec. 19. n. 95. P. 3.* Peregrin. *cit. art. 31.* cum radicatio post mortem instituentis jam adsit, Bartolus *in l. 26. §. 1. ff. de leg. 1.* Adstipulatur nostræ opinioni Carpzov. *P. 2. Const. 35. Def. 18. n. 9. 10.* Wissenbach. *Disp. ad ff. 8. Thes. 10.*

§. XXI.

Quæ aliquando *sperantur*, recte legari constat *ex* §. 7. *Inst. de leg. & Fideic. l. 24. pr. ff. de leg. 1.* Sed quæritur: num *illa spes* a Legatario *vendi* possit? Affirmatur per *l. 5. C. de donat. l. 17. ff. de Hered. Vend.* Ruin. Consil. 98. n. 15. lib. 1. Etiamsi *legatum sit conditionale*, v. g. si Venditor Legatarius ita contrahat cum Emptore: Vendo tibi Jus illud, quod tempore existentis conditionis habuero conf. Pantschmann *Quæst. 20. n. 39.* Non obstat *l. 41. ff. de Cond. & Demonstr.* Nam & creditor dici potest, cui sub conditione debetur *l. 10. ff. de V. S.* Rebuff *ad c. l.* licet pendente conditione nec cesserit, nec venerit dies *l. 213. ff. de V. S.* Namque sufficit, *Creditores dici & hos, quibus nondum competit Actio, est autem competitura: vel qui spem habent, ut competat*, juxta Ulpianum *l. 54. ff. eod.* §. *4. Inst. de V. O.*

§. XXII.

Quemadmodum *Hereditatem futuram*, sic & *actionem emere, vendere licet t. t. ff. de H. vel A. V.* sive illa sit præsens, *sive futura. Sic enim diserte ICtus: Nomina eorum, qui sub conditione, vel in diem debent, & emere & vendere solemus: ea enim est res, quæ emi & venire potest l. 17. ff. eod.* Cum autem hic requiretur *justum* pretium ex *Constitutione Anastasiana l. pen. C. Mand.* ad coercendos litis alienæ Redemptores, Brunnem. *de Cessionib. cap. 1. n. 13. sqq.* quæritur non immerito: Num *Emptio spei* ex *Nomine incerto* competentis *licita* sit, etiamsi fiat *minori pretio*, & Emptor plus possit exigere, quam revera dedit? Sane pro *negativa* militat generalitas *l. Anastasianæ*, quam & ad Actiones *dubias* extendit Dn. Brunnemann. *c. l. n. 65. 66.* Ast tamen idem postea concedit *n. 71. in Nominibus incertæ æstimationis* non præcise posse justum pretium determinari, sed arbi-

arbitrio Boni Viri definiendum esse, cum alias pretia rerum non in puncto Mathematico consistant &c. Unde *dubium* vel *incertum Nomen* posse *minoris* vendi ob *periculum*, recte statuunt Molin. *Tr. 2. Disp. 361. n. 9.* Mantic. *de T. & Amb. Conv. lib. 4. Tit. 13. n. 16.* Nam fatuus esset, qui pro Actione, quæ ascendit *spe dubia* ad centum, daret centum. Paris *Cons. 64. n. 16. lib. 4.* Philippi *observ. 3. ad Decis. 28. n. 5. sqq.* Et alias regulariter concessum est, debitum maturum *præsenti* pecunia *minoris* emere, Lugo de *l. l. D. 26. Sect. 7. §. 1. n. 69.* Manz. de *L. Anast. Q. 2. n. 18.* Præsertim id erit æquissimum, ut in *pretio* computentur expensæ probabiliter faciendæ vel factæ, Trentacinq. *lib. 2. Var. Resol. 2.* Joh. a Sande de *Cessionib. cap. 11. n. 9.*

§. XXIII.

Quæritur hac occasione. Num liceat *spem* redimendi ex *jure retractus* competentem *vendere*. Distingvimus, utrum ea oriatur ex Jure *Retractus gentilitio* sive Consangvinitatis, an *Conventionali*; ibi negamus ex communi DD. sententia, Berlich. *P. 2. Concl. 39. n. 51.* Tiraquell. *de Retract. Consangv. § 26. Closs. 1. n. 2. usque 39.* Pingizer. *Q. 30. n. 9.* Carpzov. *P. 2. C. 31. Def. 19.* Ratio clara est, quia hoc jus introductum, ut bona conserventur in Familia, idque extraneos excludit, *§. 6. Just. de J. N. G. & C. l. 3. §. ult. ff. de Cens.* Brunnem. *de Cess. cap. 4. n. 32.* Aliud dicendum *de spe* ex Retractu *Conventionali*, quam transferri in *Emptores* possumus *l. 122. §. 3. ff. de V. O. l. 23. ff. de H. v. A. V. l. ult. C. eod.* Trentacinq. *lib. 3. Resol. 10. Tit. de Empt. n. 5.* Sande *de Cess. cap 5. memb. 29.* quia quod ad heredes transmitti potest, regulariter & alteri *vendi* potest

l. 42. ff. de Admin. Tut. l. 2. C. de pact. int. Empt. & Vend. Fachin. *lib. 2. Contr. cap. 11.* Richt. *Dec. 76. n. 48.* Mantic. *lib. 4. Tit. 32. n. 13.*

§. XXIV.

Quod attinet *ſpem ex jure uſusfructus*, pariter diſtingvimus: Utrum Venditor *ipſum jus Uſus-fructus* in *Emptorem* transferre velit, an *commoditatem & utilitatem? Priori caſu* Emptio ejusmodi nulla eſt *l. 66. ub. uſumfructum cedi non poſſe, ff. de jur. dot. L. uſusfructus Cod. eod. l. 55. ff. ad L. Falc.* quia perſonæ oſſibus cohæret *§. 3. Inſt. de Uſufr.* Mozz. *de reb. quæ emi & vend. poſſ. n. 39.* Franzk. *n. 8. quib. mod. uſusfr. amitt.* Aſt bene licet commoditatem *fructus in futurum percipiendi* Tertio *vendere l. 12. §. 2. ff. de uſufr. l. 38. ff. eod.* Brunnem. *de Ceſſ. cap. 4. n. 61.* Mozz. *c. l. n. 39.* Nimirum ut Emptor ea commoditate ſecure fruatur, *quoad ſupervixerit Venditor*, qui per Emptorem utifruitur *L. c. 12.* Interim Fructuarius præſtat Proprietario cautionem ob *ſpem conſolidationis l. 1. pr. ff. uſusfr. quemadm. cav.* Quodſi uſufructuarius uſumfructum ſponte poſt ejus mortem ad proprietatem reverſurum, velit hodie ipſi vendere, nullo jure prohibetur *§. 3. J. de uſufr.* ibique Manz.

§. XXV.

Ulterius & *ſpem ſervitutis* acquirere nobis integrum eſt, quando contrahitur, ut ſervitus *futuro ædificio* imponatur *l. 23. §. 1. ff. de Serv. Præd. Urb.* Licet enim non poſſit acquiri Servitus ſine prædio *l. 1. §. 1. ff. comm. Præd.* quia Servitutes nihil aliud ſunt, quam jura prædiorum *l. 1. §. ult.*

ult. ff. de R. D. L. 86. ff. de V. 5. Tamen bene conventio Servitutis ita afficiet *futurum* prædium, ut *tunc* incipiat eſſe Servitus, cum *incipiet* eſſe prædium. Talis enim Conſtitutio ex *re ipſa dilationem* capit *l. 73. ff. de V. O.* jung. *l. 98. eod.* L. Labeo *10. ff. de Serv. Præd. Ruſt.* Sic qui ædificium habet, poteſt cum Vicino convenire, ut non ſolum præſentibus Luminibus, ſed *ne* quidem *futuris officiat l. 22. ff. de S. P. U.* Anton. Fab. *ad l. 23. §. 1. ff. eod.* Sic *labeo* exiſtimavit, Servitutem conſtitui poſſe, ut aquam in tuo fundo *quærere*, & *inventam ducere liceat L. c. 10. ff. de S. P. R.* add. Bachov. *ad Treutl. D. 17. Theſ. 5. lit. A.* Franzk. *ad Tit. de Serv. n. 78. ſqq.* Brunnem. *ad l. 22. §. 1. n. 6. ff. de S. P. V.* Wiſſemb. *Diſp. 20. Th. 17.*

§. XXVI.

Spes Muneris ſeu *officii vacaturi*, ſuperſtite veteri Poſſeſſore, *licite non emitur*, ex generali ratione prematuræ Ambitionis, morte Tertii gaudentis. Gondiſſalv. Villadiego *Tr. de legat. Q. 14. n. 73.* Quam durum enim & luctuoſum exiſtimaveris, ſeni forſan & emerito, videre quotidie ante oculos, invidentem vitæ & fortunæ ſuæ, verba ſunt Matth. Stephani *de Jurisdict. Lib. 3. P. 1. c. 18. n. 24.* Graviter quoque in hanc rem diſſerit Annæus Robertus *Lib. 1. Rer. Judic. cap. 7.* Nunquam, *inquiens*, corvos aut cæteras Aves, quæ laceratione corporum aluntur, tam rapido volatu ad cadavera per aërem ferri videmus, ægrotante officii opimi poſſeſſore, inhiantes cernimus alios ad extorquendam a languente reſignationem, & ſpolia adhuc ſpiranti detrahenda, incredibili celeritate advolare. In ſpecie *Beneficium Eccleſiaſticum*, vivo Poſſeſſore ad

ad alium, *spe saltem transferri vetant* canones per *c. 1. 2. sqq. X. de Concess. Præbend. & Eccles. non vacant.* Unde *nec valida Emtio vacaturi Beneficii*, licet in tempus, quo mortuus fuerit Beneficiarius, conferatur, quia omnis ejusmodi via ad beneficia vacatura improbatur *cap. detestanda 2. X. de conc. Præb.* ibi: mortis alienæ votum ingeritur &c. adeo ut subsecuta etiam vocatione, talis empta Promissio non confirmetur *c. auditis de Elect.* Panorm. in *c. relatum de concess. Præb.* Quod enim principio nullum est, ex postfacto non convalescit *l. 29. ff. de R. J.* Matth. Stephani *c. l. n. 20.* Excipitur solus Pontifex *cap. 2. X. de præb. cap. 4. de concess. præb.* Unde *Emptorem Officii nondum vacantis*, alias Simoniaco proximum, a crimine Simoniæ absolvere non dubitat Quiliel. Rodoam. *Tr. Tract. Tom. 15. p. 2. c. 7. n. 54.* ideo, quod in *tali spe* suspicionem Autoritas Papæ purget. Verum quia Papa licentiam peccandi non habet *c. 1. Dist. 4.* Simonia vero contra jus Divinum est, Soto *de J. & J. l. 9. Q. 5. Act. 2.* Simoniaca labes est tum Papæ *vendentis*, tum *Emptoris* accipientis, ubi *spes* ejusmodi *vendita* fuerit *c. nulla de concess. præb.* Dedeken. *Cons. Theol. V. 1. P. 2. p. 901. & append. ad vol. 1. p. 192.* M. Ant. de Dominis *Tr. de Republ. Eccles. lib. 9. cap. 9.* quia generatim committitur simonia, ubi munus Ecclesiasticum *emitur l. 31. C. de Episc. & Cler. Nov. 6. c. 1. §. 5. c. 1. c. 8. Q. 3.* Quare nec apud nos Patronus *spem functionis Ecclesiasticæ vendit* sine crimine Simoniæ & gravi periculo, Rittershus. *ad Nouell. p. 1. c. 7. n. 30.* Gerhard. *de Minist. Sect. 6. §. 116.* v. Magd. Kirchen-Ordn. *cap. 14. §. 11.*

§. XXVII.

Inter res *incerto* seu *improbabiliter futuras* eminet *cap-*

captura ferarum, piscium vel *avium*, de quibus *L. 8. §. 1. ff. de Contr. Empt. L. 11. §. 18. ff. de Act. Empt. Vend. l. 12. ff. eod.* Rerum enim, quæ non sunt, quædam sunt per se & revera tales, quædam *apparentur* tales, quæ quidem jam sunt & existunt, sed quia de illarum corporibus, quantitate & qualitate Contrahentibus *non constet*, perinde est ac si & ipsæ non exstarent, quales sunt *jactus retis, captus piscium vel avium.* Strauch. *Differt. 15. Thes. 3.* Talium *Emptio Venditio pura* est, & pretium debetur, etiamsi *nihil* capiatur, quia *spes empta* c. LL. Tuld. *in Cod. de Contr. Empt. n. 4.* Lugo *de J. & J. D. 26. sect. 2. n. 15.* Mudæus *ad l. 8. de C. E. n. 5.* Si tamen per *Venditorem* steterit, quo minus aliquid captum fuerit, tenetur ad æstimationem illius, quod verisimiliter capi potuisset *l. 12. ff. de A. E.* Mudæus *ad Tit. de Act. Empt. cap. ult. n. 17.* Tuld. *in Cod. c. l.* Sicuti nec *Venditor* justam Querelam instituit, licet captum *excedat* pretium longo intervallo *L. c. 12.* Mudæus *c. l. n. 18.* Sande *lib. 3. Dec. Tit. 4. Def. 16.* Eleganter in hanc rem differit Dn. a Pufendorff *Jurispr. Element. p. 149.* Quodsi, *inquiens*, a Contrahentibus consentiatur in pretium alicujus rei, cujus quantitas Contrahentibus obscura, *a casu* dependeat, u. g. si quis pretio potestatem piscandi in fluvio alicui vendat, pro æquali illud habebitur, in quod conventum, etsi post *vel uberior* pretio *vel minor* captura fuerit. Quia cum istæ res insignem habeant latitudinem, spectari solet in iis, quod ordinarie solet obtingere, *excessus & defectus casui imputantur*, nec ex illis contractus firmitati quid decedit.

§. XXVIII.

Huc pertinet decantata illa lis inter *Piscatores Milesios*

vel

vel ut alii volunt, *Jonios* & *Emptorem Jactus retis:* Ille extractam verriculo piscatorio mensam auream sibi adscribebat; se enim omnia, quæ extraherentur seu *fortunam jactus redemisse.* Piscatores contra excipiebant, super sola *piscium captura* fuisse conventum. Et omnino hic non de auro extrahendo, sed *piscibus* fuerat cogitatum. Quare non dubitamus *contra Emptorem* pronunciare cum Dn. Pufend. *de J. N. & G. lib. 5. cap. 5. §. 6.* Neque enim obstat, quod *alea* hic versata fuerit. Nam illa *extentenda* quidem ad *quantitatem piscium* extrahendorum, *non* autem ad *quodvis genus rerum*, quod inusitato casu in rete incidere potest. Cæterum Apollo Delphicus istam mensam *Sapientissimo* adjudicans, ostendit se Juris oppido insipientem. Ita enim sapientior rem quamlibet auferre posset. Strauch. *Differt. 15. Thes. 3. in fin.* Nisi potius sub illo Oraculo astutam Sacerdotum gentilium avaritiam latuisse putes cum Dn. Pufend. *c. l. vid.* Val. Maxim. *lib. 4. cap. 1.* §. 7.

§. XXIX.

Quia Imperator jactum retis cum *Emptione missilium l. 8. §. 1. ff. de C. E.* conjunxit, paucis & hoc declarabimus. Erant autem *Missilia* apud Romanos vel Tesseræ ligneæ cum notis rerum, vel interdum res ipsæ, quas prætores vel Consules jactabant in Populum §. 47. *Inst. de* R. D. Plin. *lib. 33. cap. 2.* Exempla allegat manz. *ad c.* §. Hodie per Missilia intelligimus aureos & argenteos illos nummos, qui plerumque post Coronationem Imperatoris in populum spargi solent. Limnæus *de J. Publ. lib. 2. cap. 5. n. 4.* add. Dither. Besold. *Cont. n. 100.* Quodsi jam olim

spes

spes Missilium vendita, & dein aliquid acceptum erat, quod postea constabat non fuisse mittentis atque evincebatur, Venditor non tenebatur de evictione *l. 8. ff. de C. E.* Ratio in textu, quoniam *spes* est *vendita* si quid capietur, *qualecunque id fuerit*, quod capietur *l. 10. ff. de Her. l. Act. Vend.* Molin. *Tr. 2. Dis. 340. §. 14. fin.*

§. XXX.

Agmen claudant *Notæ* (*Missilibus Romanis* valde similes) qua *felices*, qua *infelices* ex olla sive *urna fortunæ* extrahendæ, postquam certo *pretio emptæ* fuerint. Etsi enim *emptio* hujus *spei* admodum sit *incerta*, *licita* tamen reputatur arg. *l. 8. l. 9. §. 1. de C. E. L. 12. & sq. ff. de Act. Empt.* quia prohibitum in se non est, aliquid *fortunæ* committere Molin. *Disp. 511. n. 3.* Modo tamen fraus absit, a qua cum raro Venditor ejusmodi spei sive aleæ (germanice die Glücks-Büdner,) reperiantur immunes, non nisi publica Autoritate istud genus Emptionis exerceri fas est Molin. *c. l.* Struv. *Exercit. 15. Thes. 58. fin.* additis certis Hominibus, qui videant, ne major numerus Notarum infelicium in urnam injiceatur, quam ferat æstimatio rerum, quæ sorti exponuntur, & ut fortunatæ omnes in urnam conjiceantur. Justitiam hujus Aleæ pluribus adstruxit Martin. Delrio *Disquis. Mogic. lib. 4. cap. 4. Q. de Contractu Sortis sive Lotariæ p. 215. sqq.* Frustra dissentiente Francisco Cyriac Nig. *Controv. Forens. 422.*

§. XXXI.

Sed properamus ad FINEM *Empt Spei*, qui est, *acquisitio* alicujus *rei vel juris*, eventu vel probabili vel impro-

babiliter *futuri*, adeoque gignit illa EFFECTUM (1) suspensivum, ut scilicet τὸ futurum *ementi* non confestim acquiratur, verum ubi casus, sub quo pendet *Emptio*, exstiterit vel non exstiterit. Itaque in *Emptione Spei Conditionata* sive *Expressa* sive *Tacita*, exspectandum est, num futurum illud, cujus gratia contrahitur, revera existat. Sic Emptio *fructuum futurorum* non nisi natis fructibus perficitur, ut supra ostensum est. Aliud obtinet in *Emtione Spei pura* v.g. Captus Pascium vel Avium Missilium, aleæ, Symbolorum ex urna fortunæ, Hereditatis incertæ, nominis non boni, & Similium, tunc enim Emptio Spei parit (2) EFFECTUM purum; Emptio enim statim perfecta est ab initio juxta *l. 8. ff. de C. E.* Etiamsi post *nihil* lucratum fuerit, quia id actum intelligitur. *L. 11. §. 18. ff. de Act. Empt. Vend.* Maluit enim Emptor ab *eventu* pendere adeoque & commodum & incommodum æque tenetur ferre. Brunnem. *ad l. 12. ff. de A. E. V.*

§. XXXII.

Coronidis loco inquire lubet, num famosissimum illud Remedium *l. 2. Cod. de Resc. Vend.* in hac *Emptione Spei* quoque inveniat locum? Sane non desunt, qui hoc *Emptori Spei* liberali manu concedunt. Horum Antesignanus Tiber. Decianus *Resp. 17. n. 42. Volum. 2.* Imo in *spe vendita* inquit, habet locum *l. 2. C. de R. V.* ut tradunt Pet. de Anch. & Imol. *in C. cum causa X. de Empt. Vend.* quem sequitur D. Aleman. *Palæstr. Consult. Illustr. Cons. 7. de J. Primogen.* Pariter & Tiraquellus *de LL. Connub. Gloss. 2. §. 38.* ub. & quidem usque adeo, ut *in spe vendita* habeat

habeat locum *l. 2. C. de Resc. V.* habita videlicet ratione *pretii*, quod communiter datum fuiſſet pro *ea ſpe* &c. Verum id rectius & *Emptori* & *Venditori ſpei* denegatur. Neque enim hic attendi debet illud pretium, quod alius offert, vel quanti exteris vendi potuiſſet, Richt. *Deciſ. 99. n. 139.* Neque in conſiderationem venit *læſio ab eventu* fortunæ ortum deducens, & poſt contractum emergens *L. fin. C. de in Integr. Reſt.* Weſenb. *P. 3. Conſ. 117. n. 19.* cum non videatur damnum pati, qui perdidit *ſpem lucri futuri l. 7. C. de uſur.* arg. *l. Proculus 26. ff. de damn. infect. & ſugg.* Sichard. *ad l. 5. C. de in Integr. Reſt. n. 2.* Et quomodo ſive *Emptor* ſive *Venditor Spei læſus* dici poſſet, cum *tempore contractus initi* de certo commodo vel incommodo non conſtiterit. conf. *Conſil. Argent. 33. n. 32.* Dicendum enim, inæqualitatem tempore modo dicto interceſſiſſe, Anton. Fab. *Rational. ad L. 59. ff. de Contr. Empt.* Accedit, quod contrahentes *de ſpe*, ſciverint, fortunæ hic multum deberi. At qui ſciunt, & volunt, ſimiles ſunt iis, qui Actiones ſuos remittunt, *l. 1. fin. ff. de Act. Empt.* arg. *l. 1. C. ſi maj. fact. alienat fact. ſine Decret. ratib. L. 34. C. de Tranſact.* Et palam eſt, neminem damño affici, qui ſcit & conſentit *l. 145. ff. de R. I. L. 11. C. de Reſc. Vend.* Quodque conſulto fit, donare intelligitur *L. 53. ff. de R. I.* Unde Thomas Maulius *Tract. de Empt. Vend. Tit. 12. n. 33.* recte concludit: ob *eventu* quoque *incertum*, quod alicui commodo, aut e diverſo, damno & detrimento, prout res ſe dediſſent, eſſe potuiſſet, *ceſſat* Remedium *L. 2. C. de R. V.* Pariter ſicut id ceſſat in vendita *Incerti* Hereditate. Ut enim lucrum, ita & damnum ſpectat ad emptorem *L. 2. §. 9. ff. de Hered. l. Act. Vend.* Unde vulgo dicitur, Heredis

 qua-

litatem *non esse in pretio*, sicut frustra conferatur quantitas pretii cum quantitate Hereditatis. Mornacius ad *L. 4. C. de Hered. Vend.* Casum memorabilem, ubi *Venditori Spei* denegatum fuit Remedium L. 2. exhibet Sande *Decis. Fris. Def. 16. p. 192.* add. Pinellus *ad L. 2. C. de Resc. Vend. Part. 1. Lib. 2. n. 16.*

§. XXXIII.

AFFINIS *Emptioni Spei* est *Assecuratio* inter Mercatores recepta, de qua vid. Stypman. *de Jure Maritimo p. 4. c. 7. n. 720. sqq.* Dn. Lynker. *de Bodmeria Thes. 43.* Item *Emptio per aversionem*, wenn man was kaufft in Bogen, Sammthafft, nicht Stückweise, ubi omne periculum *Emptoris* est *l. 4. §. 1. ff. de peric. & commod. rei vend.* Requisita ejusmodi *Emptionis* tradit Berlich. *P. 3. Dec. 346.* conf. Carpzov. *P. 2. Const. 33. Def. 9. n. 1. Lib. 5. Resp. 15. n. 1.*

SOLI DEO GLORIA!

